



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Cap. XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

ANNO  
CHRISTI  
455

clericis, populoque Hierosolymitano erogauit vel sparfit. Veniens autem Priscus diaconus vrbis Ierusalem, accusabat iterum Polychronium, dicens: Quod in temporale concessum fuerat, vendidit populo, cleroque sparfit. Hoc Sixtus episcopus audiens, gaudio corroborabatur, & intimauit Augusto Valentiniano rem, quam gestam audierat. Respondit Leo diaconus, & dixit ad Sixtum episcopum: Iube occurrere Synodum per auctoritatis tuæ munimen, vt subueniatur domui, quæ supra aquam habuit fundamentum, & accipiat contignationes & fundamenta lapidea, vt tui munimine pontificii non ruat domus ædificata.

## CAP. XI.

Misit autem præcepta per vniuersas ciuitates, & occurrerunt omnes episcopi. Et fecit Synodum, & sedit cum Augusto in eadem basilica Constantiniana. Et sedens cum episcopis, simulque & Augusto, cogitationibusque æstuat Sixtus episcopus, qualiter Polychronium releuaret. Respondit Valentinianus Augustus, & dixit: Noli æstuarè, pater, quia meruit Polychronius *sicut & vidua, quæ misit æris minuta duo in gazophylacium*, vbi omnes abundanter miserunt. Illa enim nihil habebat, nisi tantum illa duo minuta. Et respondit Dominus noster: *Et quid?* Dixit autem Sixtus episcopus: *Quia omnibus plus misit.* Hæc autem omnem victum suum quem habuit, misit. Respondit Leo diaconus: Ergo præsul qui imitatus est viduam, non viduetur. Tunc leuauerunt se omnes episcopi, & qui in eodem loco erant, præ gaudio litanias faciebant: plus enim ex gaudio plorabant omnes.

## CAPVT XII.

Et direxit epistolam hanc ad vrbem Ierusalem. Beatissimo Polychronio episcopo & coepiscopis Sixtus episcopus vrbis Romæ & vniuersa Synodus clerusque omnis & Augustus. Reuelationis tuæ officia & munimen ruinæ non patiar obliuisci. Iam redi ad vxorem, quam tentabas adulterare. Non viduetur enim vxor casta, nec vir prudens maculetur pecunia, aut scorti contagio: quin templum, quod deiecerat Euphemijs, per te, Polychroni, ædificetur: Redi ad vxorem sine macula, & custodi dicta apostolica. Ora pro vrbe Roma. Actum est au-